


22



DISSE^TRAT^O PHYSICA
INAUGURALIS
DE
I G N E.

Q V A M,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnisci Re^ctoris,

D. HERMANNI OOSTERDYK SCHACHT,

A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, MEDICINÆ THEORETICÆ
ET PRACTICÆ PROFESSORIS ORDINARII,

N E C N O N

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu & Subtilissimæ
FACULTATIS PHILOSOPHICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS IN PHILOSOPHIA,
ET LIBERALIUM ARTIUM MAGISTERIO.

Summisque Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis.

Publico ac Solenni examini submittit

CHRISTIANUS BERNHARDUS ALBINUS,
Berolinensis.

Ad diem 31. Julii 1722. ab hora 8. ad 10. loco solito.

Ipsa re & ratione possumus exquirere veritatem.
CICERO.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud HENRICUM MULHOVUM, 1722.

DISSESSATIO PESTIGIA
IN VINCULIS

I O N E

AM: DEO TERRA ETINUM


ET IN VINCULIS AGREDI VENIA

IN LAMINA COSTRUCTA SCHONTH

ALIMENTA MORTALIA MORTALIA MORTALIA

IN VINCULIS

IN VINCULIS IN VINCULIS IN VINCULIS



743
185



DISSERTATIO PHYSICA
INAUGURALIS
DE I G N E.

PRO O E M I U M.



uoties istius temporis recordor,
Lector Benevole, recordor autem
saepissime, quod, Clarissimos Vi-
ros D. HERMANNUM BOER-
HAAVE & D. GUILIELMUM
JACOBUM s'GRAVESANDE de
rerum naturalium caussis disputantes
audiendo, consumsi; toties summa
voluptate perfundor, tales inprimis,
felici sorte, meae in his doctrinae auctores nactum me
fuisse, qui, damnata omni temere singendi libidine, fo-
las corporum proprietates & eorum effectus accurate
observeare, & sedulo colligere, & ex his, certis, pruden-
tissime ratiocinando, in rerum caussas penetrare me do-
cuerint; ubi vero certa rerum experimenta deficiant, i-
gnorantiam liberrime fateri potius, quam inanum rerum

A 2

ina-

inanis cogitationes obtrudere , sapientissime suaferint. Satius enim esse Philosopho , si data desint , ad singendum nimium sua sponte pronum ingenium repressisse , quam , suae rationis impetum coece sequendo , non satis liquido perspecta absque ulla dubitatione effudisse , vel sola illa , & vulgo nota , magnetis & ferri amicitia argumento sit. Nam si omnia , quae Philopsophi ad hanc diem de mirabilis hujus phaenomeni latente caussa , subtiliter magis quam vere , excogitarunt , excutiamus , & infirma nimis ratiocinia severa expungamus , praeter solum effectum , quem stupemus , & sensuum fide agnoscimus , superest nihil. Ut enim ignota capita mittam ; qui occultam qualitatem ejus caussam agnoscunt , intelligendo faciunt , ut nihil intelligent. Qui vero singularem hic propere effingunt materiem impellentem , & absque ulla veri specie assumunt , multo inanum verborum ambitu efficiunt , ut prima quidem specie aliquid explicare videantur , sed re penitus introspecta , verborum tantum & ratiociniorum multum ingessisse deprehendantur ; ex quibus nunquam Lectorum quisquam re , scientia auctior rediit. Nonne igitur praefat , ipsum tantum effectum , sensibus observatum , cuius caussam nemo mortaliū expiscabitur , tacite admirari , & ipsi aliquod , amoris mutui , attractionis , vel & impulsus nomen imponere ; modo ipsum tantum illum effectum simpliciter , neutiquam vero latentis caussae ejus quamcumque explicationem , significet. Neque enim alio sensu purioris physices Clarissimi Cultores attractionis voce hodie utuntur ; licet falso , nescio quid per eam caussae docere velle , insimulentur. Quantopere autem experimentis potius , quam ratiociniis , ubique standum sit , nimium hodie , ipsi etiam optimi , & castissimi in Philosophis ex-

pe-

periuntur, qui receptas legum percussionis corporum explicationes ut indubitatas & demonstratas assumentes, nimiae securitatis ab accuratissimis circa haec a Cl. s' GRAVESANDE captis experimentis α , quorum spectatori & testi esse mihi licuit, tam clare accusantur. Nemo itaque, ut opinor, male interpretabitur, me, dum, gradum Doctoratus in Philosophia ambiens, quae de *Igne* ex ore Clarissimorum laudatorum Praeceptorum memoriae caussa breviter notaveram, succincte profero, hic statim in principio profiteri non erubescere, ignis naturam mihi non magis, ac cujuscunque alterius corporis, notam esse. Nec obstabit tamen quicquam, quo minus ignoti hujus, quod *Ignem* voco, bene multas proprietates, quibus se manifestat, recensere & explicare potero. Quod solum promitto, & ut aequi bonique consulas etiam atque etiam rogo. Vale!

Definitio 1. *Ignem elementalem purum* voco illam materiem ignotam, cuius proprietates examinabimus, per se existentem. Talem revera existere postea probabitur.

Defin. 2. *Corpora ignita* sunt, in quibus ignis (def. 1.) haeret.

Observatio 1. *Ignis elementalis* (def. 1.) in *ignitis* (def. 2.) existit duplíciter.

1. quatenus illa intacta relinquit, ut in auro, puro, summe ignito, apparet, quod, licet urat violentissime, ipsum tamen non consumitur.

2. quatenus illa corpora comburit; quorum partes combustiles tunc, una cum igne elementali, flammarum constituunt; estque *ignis vulgi*.

THEOREMA, I. *Ignis Elementalis purus* (def. 1.) nos per se semper latet. Nisi enim esset in corpore ignito (def. 2.) non appareret unquam.

A 3

Co-

“ Effai d'une nouvelle theorie du choc des corps par G. J. s' GRAVE-SANDE, dans le Journal Literaire de la Haye, 1722. Tom. xii.

6 DISSERTATIO PHYSICA

Corollar. 1. Et fere tantum manifestat per effectus sibi proprios, nec alteri communes, quos in corporibus edit.

Cor. 2. Et ignis effectus, observando ea, quae in corporibus efficit, sciri tantum possunt. Deprehendimus autem esse sequentes.

Effectus 1. ignis Elementalis in corpora; est Calor. qui omnis ab igne tantum fit, & quidem ea lege, ut mensura caloris semper sit mensura ignis actionis, & mensura actionis ignis sit mensura caloris. Ideoque & ut pondus a saxis, liquor ab aqua, tactus a corporibus cunctis, intactus ab inani sine perniciali discidio potis non est se-jungi, sic etiam calor ab igne nequit segregari.

Defin. 3. Calor est animae in cogitatione mutatio, ab ipsa illa physica mutatione, quae a calente in nostro corpore producitur, quam diversissima. Si enim homini stillantibus auri, vel sulphuris, igne resoluti, guttulis inurerem locum digiti, ex ungue deciduo, denudatum, & per Jovem jurarem, aliud ipsi non fieri, quam quod physica quaedam nervis ejus inducatur mutatio, quae illos distendat, ille tamen, neglecta omni talis corporeae tantum mutationis idea, membra dire contorquens, & horrendos ad sidera tollens clamores, indicabit, fieri tam horrendi quid in se, ut illum statum ferre nequeat absque summo animi cruciatu, & imminentie totius machinae suae destructione. Est vero illa mutatio talis, ut nemo ejus ideam habere possit, qui nunquam, id ipsum, quod calorem vocamus, actu expertus est.

Observ. 2. Calor nunc est major, nunc minor.

Observ. 3. Caloris gradus duobus successive momentis nunquam videtur esse perfecte idem. docent exquisito sensu praedita thermoscopia; & pulchrius doceret Ther-

* sic fere Lucret: lib: 1. vers: 454.

Thermometron ex purissimo alchohole vini confectum, maximaē capitatis, & maximaē rationis bulbi ad cylindrum; id enim, quod a levissima quavis causa mobile foret, nullo quiesceret momento, sed convulsivi hominis instar continuo subsiliret.

THEOR. II. *Omnis Calor est relativus ad eum, qui calorem sentit.* Quum enim omnis homo vivens calleat, calidum tantum vocabit, quod calorem suum naturalem superat, frigidum vero omne, quod ejus gradum non attingit.

Coroll. I. *Vnde calor ab uno quodam homine comprehensus, nequit esse generalis mensura caloris, seu majoris minorisve gradus ignis, revera praesentis.* Vide leucophlegmaticam, mucosam, aquosam, laxam, & quocunque modo cachexia laborantem, teneram domicellam; longe inertius & frigidius semper habebit corpus, quam sanguine denso, compacto, abundans, & fibris robustis gaudens, athleta, quum a febre ardenti ferocit. Sine priorem illam accedere ad bene instructum ignis focum; gratiam, hercle, ab ea inibis maximam, quod gratae adeo ipsi rei eam admoveris. Sed posteriori luculentum ignem admove, omni fane molimine caloris nimii molestiam indicare non desinet. Id est, idem caloris gradus, huic detestabilis & maximus, illi per quam acceptus, & lenis erit. Et sic de caeteris.

Corol. 2. *Et Calor est relativus ad ejusdem hominis varium corporis caloris gradum, quem diversis temporibus obtinet.* In summa solis & aestivi temporis flagrantia, furente caniculari aestu, homo calore ferventissimus descendat subito in glaciale hypogaeum; gratissime frigida aura sentiet se refici. Idem ille homo eundem locum ingrediatur glaciali hyeme, caligante nocte, quum

8 DISSERTATIO PHYSICA

quum animalia, inanimaque omnia rigent gelu, ipse torridus frigore & rigens, occurret leni & suave tenui aeri, qui totum ejus torpidum corpus emolliet, & animum ipsi reddet. Quum tamen thermoscopia demonstrent minorem liquidi ex calore expansionem summam hyeme, quam fervida aestate, in eadem subterranea cella.

Corol. 3. Et de calore, vel ignis praesentis copia, solis sensibus nostris recte judicare non possumus. Nam minimum caloris gradum pro summo frigore habemus.

Effectus 2. ignis elementalis in corpora; Est *Dilatatio solidorum, & Rarefactio fluidorum omnium.*

Defin. 4. Dilatatio est illa solidae corporeae massae mutatio, qua mole augetur, manente interim, ad sensum, partium ejus cohaesione.

Defin. 5. Rarefactio est idem effectus in fluidis.

Observ. 4. Ut dilatationem & rarefactionem ab igne separari posse nulla observatio docuit, ita & in solidis & in fluidis corporibus ab igne semper eam produci, fidem experimenta faciunt.

Experimentum 1. Construatur ex ferro virga cylindrica, cuius & longitudo accurate mensuretur, & crassities, adaptato annulo mobili, determinetur exacte. Tum frigidissimus ad ignem calefacit iste cylindrus, fiet crassior, & omni temporis momento, quo plus incalescet, ad ignitionem usque, omnis successive augebitur ejus dimensio, ita ut nec longitudo mensurae prius captae, nec crassities annulo amplius conveniat.

Experim. 2. Idem cylindrus candens, extrahatur ex igne, & subito exponatur summo frigori, successive a summo, quem capere poterat, calore, per omnes inde decrescentis caloris gradus decurret, ad maximum frigus, cuius est capax: sed & omni illo tempore nunquam duo-

duobus successive momentis erit ejusdem molis, sed illa in omni dimensione imminuetur, donec frigidissimus factus, priorem magnitudinem in omnibus aequet.

Experim. 3. Auri determinata quantitas ad ignem liquefcat, & resoluta in eodem spatio, ac ante, coerceri non poterit.

Experim. 4. Simile quid in lignis, immo in ipsa argilla, observatur, antequam calor partes volatiles expulerit, & sic residuum contractius reddiderit.

Experim. 5. Argentum vivum, purissimum, quod omnium liquidorum est gravissimum, in angusto tubo supra ignem ebulliens, ad trigesimam, & ultra, suae altitudinis partem adscendere vidimus.

Experim. 6. Vel ipsae mulierculae norunt, aquam, multo minus argento vivo densam, in ollis opertis, ab igne agitatam, per rimas operculi fese insinuare, & refactam exsilire.

α — — Solis radiis jactatur aquaⁱ

Humor, & in luce tremuto rarefcit ab aeftu.

Experim. 7. Omnia fluidorum levissimus aer machinae Papiniana includatur, suppostus ignis cum ita dilatabit, ut ne tormentis quidem ferreis possit retineri, sed ut ipsa saepe repagula, etiamsi ex metallo fortissima, effringat, & cum ingenti impetu & terribili fragore disjiciat.

THEOR. III. *Citius & magis fluida rarefcunt ab igne eodem, quam solida.* Satis docet solum thermometrum, cuius sane usus nullus esset, si in eadem ratione, & aequo cito, dilataretur tubi vitrei cavitas, qua liquidum in eo contentum rarefcit. Nam statim non adscenderet liquor ab applicato majori caloris gradu.

B.

Schœ

* Lucret. lib. vi. §. 874.

10 DISSERTATIO PHYSICA

Scholium semper tamen tubi vitrei cavitas in thermometro paululum dilatatur; ex antecedentibus.

Quæstio. Cur frigida thermometro maxime sensibili applicata primo momento temporis cogunt liquidum adscendere? Quia vitreus ille tenerrimus cylindrulus ab applicato frigore se contrahit, hinc cavum srum angustat, & liquidum sursum urget. Donec in ipsum liquidum contentum penetrans frigus, & magis in id, quam in solidum vitrum agens, illud condenser, & descendere faciat. Unde vulgare hoc experimentum, quod primo intuitu nescio quid miri in se continere videtur, examinatum cum dictis egregie convenit.

THEOR. iv. Quo liquidum levius est, eo plus ab igne dilatatur. Nam aerem omnium fluidorum post ignem forte levissimum, in immensum expandit. Spiritum vini rectificatum mensurabilis ignis gradus minimus adscendere statim cogit in thermometro, mercurium tardissime omnium.

Coroll. i. Ergo ignis in solida & fluida humani corporis eadem efficiet. Quod etiam observata confirmant; omnes hyeme & summo gelu firma & minime rara habemus membra, solidis accurtatis, contractis, fluidis densatis, unde tunc rigemus: omnes vicissim in summo aestu præ laxitate horum diffluiimus. Iterum pone alteram manum in magno calore, in intenso frigore eodem tempore alteram, hanc in omni dimensione contractam, illam dilatamat habebis.

Scholium. Hinc patet ratio observati Hippocratici, quo saepe solam insolationem cauflam procatarrticam esse vehementissimae phrenitidis scribit. Nam a calore solis rarefacti humores vascula tranare non possunt; sed ad finem haerent, illa obstruunt, & inflammationem in

in cerebri membranis producunt, unde phrenitis. Unde minima talis & simplicissima causa, rarefactio liquidū, hominem, sanissimam mentem in sanissimo corpore habentem, ita brevi mutare potest, ut & corpus laboret maxime, & mens alienetur eo usque, ut deliret, & furat ferocissime.

Corollaria ex praecedentibus.

Coroll. 1. Calor mutatus semper notat variatam corporum dilatationem.

Coroll. 2. Omnis dilatatio corporum, ab igne facta, supponit & indicat majorem caloris gradum. Nam calor & dilatatio sunt inseparabiles ignis effectus, semper eodem simul gradu crescentes, & decrescentes.

Scholium. Sed omnis major dilatatio non supponit maiorem calorem; docent effervescentiae frigidae, quae non ab igne, sed miscela corporum producuntur.

Experim. Misce salem urinae cum aceto, orietur ex templo maxima effervescentia, & ingens dilatatio, sed tantum abest, caloris gradum inde augeri, ut immisso Thermometro, in liquidum effervescendo adhuc ebulliens, liquor in thermometri tubo, caloris index, descendat, & majus frigus ortum esse demonstret.

Coroll. 3. Hinc, si cum his jungatur constructio thermometri, liquet ejus utilitas. Quod si rite paratum, & perquam sensile sit, est unicus, omnium fidelissimus index caloris praesentis, aucti, & imminuti.

Scholium. Tamen nunquam caloris gradum perfecte indicat, quia semper simul cum eo mutatur capacitas canalis sui, ex schol. & quaest. THEOR. III.

Effectus 3. Ignis elementalis in corpora est Motus. Quod ex dictis sequitur, dum enim corpora calefacit & dilatat, illorum partes necessario movet.

B 2 THEOR.

12 DISSE R T A T I O P H Y S I C A

THEOR. IV. *Ab igne elementali pendet omnis motus in omnibus corporibus, & hoc ablato omnia sunt inertia.* Si certo gradu afferatur ignis, aut certus gradus frigoris fiat, minime adhuc summus, omne oleum, pinguedo, aqua, vinum, cerevisia, spiritus vini, vegetans, animal &c. fiunt corpora dura, rigida, inertia; quo magis intenditur frigus, eo haec omnia citius & validius indurantur.

Coroll. 1. *Vnde si summum fieret frigus, & omnis ignis abesset, videtur tota rerum natura corpus concretum, rigidum, instar adamantis, futura esse.*

Coroll. 2. *Et si omnibus his sic concretis admoveatur ignis, priorem mobilitatem videntur receptura esse.*

Coroll. 3. *Imminuto per gradus igne, minuitur motus, ablato igne, cessat motus.*

Coroll. 4. *Admoto igne restituitur motus, aucto igne augetur motus.*

Coroll. 5. *Hinc ipse ignis semper motus esse videtur.*

THEOR. VI. *Ignis ille, cuius effectus hactenus recensui, nullo alimento vel aere indigit, ut perennare queat.*

Exper. 1. *Pone in vacuo Boyleano calcem plumbi aut stanni, & in eam per vitrum causticum dirige focum, fiet tanta dilatatio calcis, ut totum vas in milrena fragmenta disjiciat a centro versus omnem peripheriam.*

Experim. 3. *Oleum quocunque essentiale grave ex aromatibus in vacuo affunde spiritum nitri, orietur flugens ignis, cum summo adstantium periculo. α*

Coroll. *Ergo in ipso vacuo potest oriri ignis.*

Observ. 5. *Omnes dicti effectus ignis elementalis a nobis per gradus possunt augeri.*

α Vid. Transact. Anglic.

PRO-

PROBLEMA. Augere effectus ignis elementalis.

Modus 1. Augendi effectus ignis elementalis, est attritus.

Defin. 4. Qui attritus est unius corporis supra aliud celeris agitatio.

Experim. 1. in Solidis. Nimis notum est, quum silex cum silice confligitur, ex illo tritu flammeas scintillas elici;

— *Lapidem cum ferro cum caedimus evolat ignis.* α

β *Exprimitur validus extritus viribus ignis,*

Et micat interdum flammae fervidus ardor.

Experim. 2. in fluidis. Frigidum lactis cremorem postquam diu carminando agitatus est, ut omne butyrum elicatur, tepescere ad sensum, quotidianum & rusticatum est experimentum. Thermometrum quoque tunc temporis, lacti jam ebutyrato immissum, majorem caloris gradum evidenter commonstrat.

Coroll. 1. Ergo ipsae etiam particulae liquidi, sat rari & oleosi, violenter agitati, & diu conquassati, inter se & ad vas coercens, & instrumentum agitans, attritae majorem calorem excitant.

Scholium. Omnis calor animalis corporis pendet tantum ab attritu partium, quae humores constituunt, inter se, & ad solida, id est a mutua & reciproca actione liquidi & solidi. Nec obstat extra corpus animale nulla arte, nullis machinis, quodcunque liquidum ita agitari non posse, ut similem nostri corporis calorem producat, quoniam nisi in artificiali illa machina, & liquido quod agitat, omnia eadem sint cum ipsa animali machina, nunquam idem inde effectus sperari poterit.

* Idem. lib. 6. §. 313.

§ Idem. lib. 6. §. 1097.

Illa autem accurate imitari, solus, qui Animal fecit,
DEUS potest.

Coroll. Ergo ad explicandum calorem nostri corporis, non configiendum ad calidum innatum, archaei actionem & similia, quae nil explicant.

THEOR. VII. Quo corpora, quae atteruntur, sunt solidiora, duriora, magis elastica; quo plura sunt contactuum puncta: quo vis, qua sibi invicem applicantur, est major: quo motus conterens est vehementior, ex brevioribus intervallis repetitus, & diutius protractus, eo semper calor oritur major.

Coroll. I. Si caeteris manentibus iisdem, una ex his conditionibus augeatur (Theor. VI.) intensior fiet calor.

Experim. I. Raram & molleam spongiam alteri leniter, & lente, per breve temporis spatium, affrices, nec orietur tantus calor, quam si tempore frigidissimo, quo scilicet corpora sunt solidissima, maximae laminae ferreae, summis ponderibus oneratae, latae superficie, super similem lamellam citatissime & diu frices. Nam qui in priori casu non apparebit sensibilis, in posteriori tantus subito exorietur, ut sulphur inflammare, & pulvrem pyrium incendere possit, si admoveantur proprius.

Experim. 2. Cultrum chalybeum supra cotem siccum acue, si celerrimo cotem circumgyres motu, & stricte ad ipsam adplices cultrum, ipsam eructantem flammarum brevi videbis. Oleum vero vel sebum, vel & quodcumque aliud mollius interpone corpus, vix notabilis excitatitur calor.

Experim. 3. Tenuissimae aciculae, extremam cuspidem, alterius simili affrica, valide, cito, diu, nec poteris deprehendere calorem, quoniam per minimam tantum superficiem sese contingunt.

Coroll. 2. Hinc globuli sanguinis rubri, vi cordis impingentes in se mutuo & in latera arteriarum, maiorem calorem excitant, quam globuli seri, aut cuiuscunque alterius circumductorum humorum in animali. Sunt enim illae humorum animalium partes, quae sub eadem superficie, omnium plus materie continent.

Coroll. 3. Et partes, his globulis motis, maxime abundantes, prae reliquis calent, ut Hepar Cor, Caput, &c.

Schol. Hinc pulmones omnium maxime calerent, quia sanguis omnis per eos transiicitur eodem, quo per reliquum corpus, tempore, nisi tantam copiam aeris frigidi omni inspiratione attraherent, & per omne suae molis punctum dividerent. Unde fit, ut sanguis in vasculis vesiculam, aere frigido plenam, ambientibus, refrigeretur, eodem modo, ac puls fervida, in latam, profundam, patinam effusa. Et cum toti pulmones ultimo ex his vesiculis, aerem frigidum recipientibus, constet, & iis, omnia vascula circumponantur, per quae sanguis transireat ex dextro corde ad sinistrum, sanguis ille maxime refrigeratus efficit, ut toti pulmones non caleant adeo ac calerent ex copia transeuntis jugiter sanguinis.

Coroll. 4. Quo densior est sanguis in animali, caeteris paribus (quod in omnibus intellectum volo) eo majoris caloris auctor erit, & vicissim.

Coroll. 5. Partes vi impellenti humores, id est cordi, proximae, maxime calent, & vicissim.

Coroll. 6. Quo majori vi propelluntur humores, eo major orietur calor, & contra.

Coroll. 7. Et quo major humorum copia ex corde urgetur in arterias, eo major calor, & contra.

*Coroll. 8. Cum resistentia propulsus humorum aucta,
augebitur calor.*

*Scholium. Nisi resistentia tanta sit, ut nihil ex corde
expelli possit, tunc enim non erit attritus, sed quies &
inde mors.*

*Coroll. 9. Quo citius repetitae fuerint cordis con-
tractiones, eo major producitur calor, & contra.*

*Coroll. 10. Si caeteris manentibus iisdem, augeatur
vel densitas humorum, vel vis impellens, vel copia
expulsa, vel resistentia, vel ictuum expellentium in-
tra idem tempus numerus, augebitur calor.*

*Coroll. 11. Et si, caeteris manentibus iisdem, quae-
dam ex his causis minuatur, minuetur quoque calor.*

*THEOR. VIII. Quo major conditionum (Theor. I.)
numerus conspirat, eo habetur calor vehementior, &
contra.*

*Coroll. Unde mirum non est, homines, qui partes so-
lidas habent teneras, laxas, debiles, & humores ra-
ros, leves, & vitam sedentariam degunt, minus ca-
lere, quam qui omnia his possident contraria.*

*THEOR. IX. Ab his conditionibus variis, va-
rio gradu combinatis, varius omnino caloris gradus
producitur.*

*Coroll. 1. Ergo omnis calor, qui ab attritu pendet,
nunquam debet aestimari ex una vel altera harum con-
ditionum, aucta, vel imminuta.*

*Coroll. 2. Sciri tantum potest ex summa momento-
rum omnium conditionum, quae ad eum faciendum con-
currunt.*

*Coroll. 3. Hinc in homine potest accelerari contra-
etio cordis, & hinc pulsus fieri celerrimus, imminu-
to tamen inde maxime calore, imo frigore obrepente,*

si simul minuatur modo copia , singula contractione ex corde effusa in arterias.

Coroll. 4. Hinc tempore frigoris summi febrilis , pulsus tamen citatissimus est , sed parvus.

Coroll. 5. Hinc simulac pulsus ille fit magnus , & celer , oritur calor febrilis , summus quandoque.

Coroll. 6. Verbo ; ex simplicissimis his regalis tantum intelligitur calor hominis , sani , morbosī , auctus , immunitus . Ex his intelligitur , quomodo & per quae ille augeri minui possit . Intelligitur , quaenam in corpore , ex calore aucto & imminuto , indicetur mutatio in solidis , fluidis , actione horum in se mutuo ; & quid tunc agendum . Et infinitae aliae in sapientia medica regulae .

Quæstio . An hinc intelligitur , cur pisces sanguinem frigidum habeant ? forte quia pulmones aliter fabricatos habent , quam caetera animantia .

THEOR. x. Dum corpora sic atteruntur , majus impedimentum calori producendo addi non potest , quam interpositio olei , sevi , aut cujuscunque corporis molles , lubrici , omnem motum absorbentis ; ut quotidiana experimenta docent .

Coroll. Unde usus olei & sevi in mechanicis , & in corpore animali intelligitur .

Modus 2. augendi effectum ignis elementalis . Per omnia nota vegetabilia , si demetantur , quo tempore plena adhuc sunt succo nutritio , & paululum exsiccata , ut neque arida sint præ fuscitate , neque madeant præ humiditate , congerantur in magnum acervum , magnoque pondere premantur , tunc enim incipiunt temtere , calere , fervere , ebullire , fumare , flammam concipere , evomere , & vero igne omnia consumere .

Hoc sane tot tristia exempla docent, quibus toties mā-
defactum foenum coacervatum conflagravit, & ingen-
tem vicinorum stragem edidit.

Modus 3. augendi effectus ignis elementalis. Mis-
cela quorundam corporum frigidorum.

Experim. 1. liquorum duorum. Aequabiliter caleant
aqua & alcohol, si misceas, augebitur calor.

Experim. 2. Spiritui nitri admisce oleum ex aroma-
tibus ponderosum, Cinnamomi, Caryophyllorum, Saf-
safras, Guajaci, parum interest, & parabis flammivo-
ram materiem, montis aetnae instar flammam eructan-
tem.

Experim. 3. Liquidi & solidi. Spiritui nitri injice li-
maturam martis; nec audebis admoveare thermometrum,
quo explores gradus caloris, metu, ne disjiciatur totum.

Experim. 4. Spiritui Gланberi instilla fragmentula vel
cupri vel ferri, orientur subito ingens calor.

Experim. 5. in siccis fere. Sulphuri purissimo & li-
maturae martis, aqua copia, subtilissime tritis, adde tan-
tum aquae, ut fiat pasta valde sicca, repone hanc quocunque
loco, immo intra ipsam terram, intra paucas horas tepe-
cet, fumabit, ignem emittet, & quidem, quo fortius
haec premas, eo omnia fortiora & violentiora erunt.

Modus 4. augendi effectus ignis elementalis. Per
productum chemicum ex partibus animalium quod, verus
est ignis magnes, illum per secula retinens quasi concen-
tratum, phosphorum scilicet.

THEOR. xi. Omnibus his modis ignis nunquam ex-
citari videtur, aut generari ex eo, quod non erat i-
gnis. Nam si laminam auream ad alteram, in saevis-
sima bruma, celerrime agitaverim, per varios gradus sic
candefient, ut fere fundantur, & omne combustile con-

fumant: interim illae laminae nil perdunt de pondere, sed fiunt tota mole majores.

Coroll. 1. Ergo ille ignis in atmosphaera dispersus tantum colligitur.

Coroll. 2. Unde patet existere ignem elementalem (def. 1.)

THEOR. XII. Ignis ille elementalis est praesens in omni corpore, spatio, tempore, nobis noto. Sive enim adscenderis summos montium apices, sive descendens in subterraneam cryptam, sole splendente vel non, gelidissima hyeme vel urentissima aestate, verbo, semper & ubique per unum aut plures, ex dictis modis, poterit colligi.

THEOR. XIII. Quamdiu ignis aequabiliter & indeterminatus haeret in quodam loco, nullo effectu ibi manifestus apparat. In summo frigore, quod unquam observatum est, nullo effectu ignis se nobis manifestat, tamen tritu semper colligi potest.

THEOR. XIV. Quum ab indeterminato motu agitur in lineas convergentes, momentum ejus augetur: argumento sunt istoria vitra & specula.

Schol. Quid vero attritus, vegetabilia ferventia, &c. in directione ignis mutent, non liquet.

THEOR. XV. Ab igne & memoratis ejus effectibus pendet omnis fluiditas omnium humorum, vegetatio, putrefactio, fermentatio, calor animalis &c.

Fluiditas humorum; nam si tollatur, concrescunt, si reddatur, denuo fluidi fiunt, ut observationes docent.

Vegetatio; hoc uti experimentis constat, ita post detectam a Malpicio in primis plantarum vitam, nutritiōnem & incrementum, pulchre patet.

Putrefactio; si enim ignis tollatur, non procedit pu-

tresactio, unde in fissuris glacialium montium carnes diutissime incorruptae servantur.

Fermentatio; ad quam efficiendam calorem requiri jam notarunt Chemici.

Calor animalis; quo refrigerato extinguimur. Unde calor noster praecise est ut noster ignis, & omnes effectus caloris in nobis sunt effectus ignis.

THEOR. xvi. *Si ignis ille colligatur, dirigatur, applicetur ad corpora, efficit summa, quae in rerum natura deprehensa sunt fieri posse, effecta.* Docet vitrum Tschirnhaus, & speculum Viletti, in cuius foco quocunque fere corpus ad instar aquae difflit liquidum; immo, quod sidem fere superaret, ipsi lapides, ex quibus fornaces fusorii construuntur, in foco retenti per momentum, vitrescant, qui alias tam pertinaciter igni resistunt, ut ad ferri vel cupri fusionem per 8 vel 9, & ultra, annos ardentissimum ignem sustineant, & si omnium optimi fuerint sine ulla calcinatione vel vitrificatione. Quod summum est in rerum natura adhuc dum cognitum effectum.

Obseru. 6. Quocunque demum modo ignis intra corpora collectus fuerit, cessante causa colligente, sat cito iterum evanescere solet, nisi pabulum suppeditetur; tunc fit ignis 2. observ. 1.

Def. *Pabulum ignis* vocatur, quod ignem recipit, retinet, in eo consumitur, aut saltem insensibile redditur.

THEOR. xvii. *Pabulum ignis unicum est in rerum natura cognitum, omne scilicet oleum, sulphur, pingue.* Nam omnes observationes docent, omne pabulum ignis tale tantum esse ratione hujus olei.

Ca-

-213

Coroll. 1. Hinc 1. omnia vegetabilia recentia nec nimis humida, nec nimis sicca, terrea, calcinata quasi & cinerea, tale pabulum praebent, inter ea autem in primis, quae quam maxima copia olei praedita sunt, ut sunt omnia ligna balsamica, resinosa.

2. Omnes carbones vegetabiles vel animales igni alendo aptissimi sunt, nam nihil sunt, quam pars vegetabilis, aut animalis, quae expulsa aqua & sale retinuit solum oleum, forma nigra haerens in sua terra; Unde quo nigriores eo semper sunt meliores.

3. Terraes fossiles, bituminosae ut sunt cespites, qui parantur ex nigra, lenta, pingui materie, ex terra educata.

4. Sulphur minerale omne, purum, vel terrae, faxo, metallo junctum, ex quibus constant omnes carbones fossiles.

5. Adipes & stercora animalium siccata.

6. Producta chemica, quae sunt, vel carbones, vel oleum, vel oleosa: ut spiritus inflammabiles fermentatione producti, vel putrefactione, vel destillatione.

THEOR. xviii. Oleum quo subtilius, & magis a reliquis principiis separatum, eo facilius incenditur: patet ex alcoholo puro, & similibus.

THEOR. xix. Et si simul ad nigredinem deductum, super alio corpore tenuiter expansum sit; ut subtilissimus carbo ex linteo factus; qui nil est nisi oleum tenuissimum forma nigra supra terram albam expansum; unde simulac combustionē perit nigredo, remanentes cineres albi, non amplius comburendi.

THEOR. xx. Ignis, qui materiem combustibilem consumit, requirit aerem. Nam hoc ablato, ignem illico

dissipari & difflari docent experimenta in vacuo capta.

Schol. Omnis ignis aerem nunquam patitur, sed eum semper expellit, unde circa ignem formatur fornix aereus, qui toto suo pondere agit in omnes partes, quae ex hoc fornice elabi conantur, hinc ignem retinet, & ad materiem combustilem applicat.

Coroll. 1. *Hinc quo aer gravior, eo ignis violentior.*

Coroll. 2. *Unde frigido, sereno tempore, ignis majori violentia agit.*

Quaestio 1. *An solo pondere continet ignem aer?* idem sane aqua praestaret. *2.* *An eo etiam confert elasticitas,* qua aequabilem conficiat fornicem circa ignem? *3.* *An aliud quid adhuc ignotum in aere latet, hoc juvans?* videtur fere, quia omnis aer flammae alendae aptus non est.

Observ. Ignis ille, qui materiem combustilem consumit, dat ignem lucentem, flammarum, pro pabuli varietate saepe fumum, fuliginem, cineres.

Ignis lucens videtur esse ignis elementalis versus partes sulphuris attractus, quacunque vi, tanta celeritate, ut illas moveat omnes, circumagat violentissime, rotet, dividat, conterat, attenuet, sic invisibles, volatiles reddit. Dum interim aer, faciens circa eum fornicem, eum coerbeat, in sulphur determinet, faciatque, ut ignis ille semper ibi collectus maneat.

Flamma videtur esse sulphur crassum, ab igne elementali agitatum, ut prius; ut ignis magno motu agitetur circa illam particulam sulphuris rotatam.

Fuligo videtur fieri, quum ignis & sulphur non possunt ire in flammarum: & est carbo, constans sulphure crasso, oleo attenuato satis & expanso & terra & sale volatili.

Fumus videtur esse materies combustilis, quae igne elementali incipit destitui: nam si per certos furnos fumus cogitur per flamمام ire, totus flamma fit.

Cineres sunt terra & sal residua, quae ab igne intacta manent.

Haec habui, mi Lector, de igne breviter quae perstringerem. Facile nunc fuisset, cognitis principibus eius proprietatibus, & quae inde juste sequuntur, multa adhuc alia de eo disputasse. Quod tamen ne facerem, suadebat ipsa argumenti amplitudo nimia, & hujus dissertationis scopus; cui satis jam factum hisce esse videbatur.

F I N I S.



quemque sibi dicitur: nam si per ceteros tumos in
terrenis quibusdam non sit, roris remanserit.
Circa autem tunc certe et per reges, datus est inde inter-
gat mense.

Hec nomen, mihi ergo, deinde praebet datus est
principalem. Namque nunc tollitur, ceteris principibus e-
ius proportionatis, ut datus inde iuste secundum, mutatis
supradictis suis, de eo disponatur. Quod tamen de secundo
tangere patet quia aliammodum subtilitatem tunc, ut patet, dicit
tertiationis locum, cum tunc iam regnum puto esse agi-
tum. An aliud quid adhuc ignoramus in vere latet, nos co-
vans? videtur.

S. I. M. I. Observa, Igitur ille, qui materia combustibilem conser-
vit, sicut ignis luciferum, flammam, pro pulchritudine
fusco fumum, fuliginem, cinerem.

Igitur luciferus, sicut etiam vestris partibus
materiaris ardentibus, etiam etiam cibicata
et illa aquaria, ut etiam in aliis usus modis ageretur
dividat, copera, etiam etiam volatiles redi-
cta. Dum interius, etiam etiam formicam, cum
concentratur, in subtilem, etiam etiam, ut quis illa
partes ibi collectas res.

Flamma videtur esse ratione certior, ab aliis elemen-
tis aquaria, ut minus in aliis usus modis ageretur
aliquam illam particulariter designare.

Fusca videtur fieri, quamvis de fusione non pos-
sunt in ea flammam: etiam etiam, causans fusione
omnium, omnia omnino tunc, quod est, termo de aliis
materiali.

